



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Libri// Officialis// Sive Agendae S.// Ecclesiae Treverensis
Pars// Prior**

Jakob <III., Trier, Erzbischof>

Avgvstae Treverorum, 1574

VD16 A 766

De impedimentis matrimonij non dirimentibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72595)

Si affinitas precedat matrimonium impedit & dirimit, non autem si sequatur.

De impotentia coeundi.

HAec quia aduersatur naturæ matrimonij in quo traditur mutua corporum potestas ad procreationem, & fornicationis vitationem, si precedat, & est perpetua, siue sit naturalis, siue accidentalis, nempe per maleficium, vel castrationem, impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum.

DE IMPEDIMENTIS

QVAE IMPEDIUNT NE SINE

peccato possit contrahi matrimonium, non tamen dirimunt contractum.

Interdictum Ecclesiae, ut quando aliquis prohibetur ac Episcopo vel pastore contrahere matrimonium propter aliquam causam probabilem, ut quia dicitur fortassis consanguinea, vel desponsata alteri, & donec certo constet an sit aliquod obstaculum, tunc enim si contrahat, peccat mortaliter, propter inobedientiam. Matrimonium tamen, nisi sit aliud impedimentum, est ratum.

Propter hanc causam fiunt proclamationes, & adhibentur aliae solemnitates.

Tempus feriarum quo prohibetur traductio sponsæ, & nuptiarum solemnitas, non autem sponsalia, aut contractus matrimonij, quod solo consensu fit. Nunc in Concilio Tridentino restringitur hoc pacto, ab adventu Domini usque in diem Epiphaniæ. Et à feria 4. cinerum usque ad 8. paschæ inclusiuè. In alijs vero temporibus nuptiæ solenniter celebrari permittuntur.

Votum simplex castitatis, contrahens. n. matrimonium & violas fidem Deo datam, peccat mortaliter, nec petere debitum, sed reddere petenti potest, & si moriatur vxor, aliam accipere non debet, ut vel tunc soluat quod vouit. Tutius tamen est in prædictis petere dispensationem propter periculum.

Sponsalia. Qui enim alteri promisit fidem peccat frangendo eam, & contrahendo cum altera, nisi in casu, in quo sponsalia sine peccato absoluuntur.

Admonet etiã Concilio Tridentino, ne homines vagi & qui incertas habent sedes facile ad matrimonium admitantur, neque pastores illorum matrimonij inter sint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & ab Episcopo licentiam id faciendi obtinuerint. Item si quos habeant sub
sua

Vbi supra

Matrimonii.

in sua parochia concubinos siue vxoratos, siue solutos, eos pastores diligenter Episcopo denunciandos curabunt.

De benedictione secundarū nuptiarū.

Nuptiæ secundæ ex parte amborum non sunt benedicendæ.

Ex parte viri tantum, vt cum viduus accipit virginem, benedicuntur.

Ex parte vxoris tantum, vt cum iuuenis contrahit cum vidua, non benedicuntur.

Sponsa, quam constat non esse virginem, non debet benedici.

Sacerdos benedicens nuptias, quas non debet, grauitè peccat, & est puniendus. C. 1. de Secundis Nupt.

ORDO AD INTRODUCENDVM PVERPERAS POST PARTVM.

Sacerdos ventens ante Ecclesiam, aspergens mulierem aqua benedicta, dicat.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. **A**diutorium nostrum in nomine Domini. **Q**ui fecit cælum & terram. **S**it nomen Domini benedictum. **E**x hoc nunc & vsque in seculum.

Psal. CXX.

Leuauit oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à domino, qui fecit cælum & terram.

Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te.

Ecce